

et gloriam domini dei ac sancte matris ejus uirginis Marie nec non sanctorum omnium et ob remedium et salutem anime nostri patris domini Bernhardi pie recordationis morte [sic] nostrorumque predecessorum, in nostra hereditate circa uillam quendam Witigenov nomine, in loco quem aptissimum expedire uidebimus. Claustrum sanctimonialium Cist. ordinis construere proponimus domino adjuuante. Et ut persone, que in loco eodem sunt mansure, liberius domino ualeant famulari et sui ordinis regulam obseruare, ne propter uite necessaria dilabantur ad temporalia, praefatis dominabus parrochiam contulimus in Crostitz cum pratis, pascuis, piscinis et nemoribus ac prouentibus et cum omnibus reatibus ad ipsam parrochiam pertinentibus jure perpetuo possidendam. Ecclesia uero praedicta hiis dotata est redditibus. Uilla que sortitur uocabulum nouosedliz<sup>2)</sup>, que mansos habet duodecim exstirpatos, qui singuli annis singulis dimidiam marcam argenti persoluunt in censu. Item in ipsa uilla Crostitz mansum vnum et in uilla nomine Kucov mansum reliquum, qui eundem persoluent [sic] censum, sicut ceteri suprascripti. Praeterea in eadem uilla jam sepe dicta isdem contulimus dominabus allodium cum quatuor mansis liberis proprio sub arato excolendum. Item vnum talentum denariorum de theoloneo in Kuningesbruk, quod eidem est ecclesie in Crostitz, jure perhenni recipient Annis singulis domine jam sepe superius memorate. Item siluam unam, quam ipsa ecclesia usque in diem hodiernum a prima possedit plantatione, pro claustrum edificatione et propter alia necessaria siue uite commoda praefatas dominas habere uolumus in perpetuam possessionem. Item in quadam nostra ciuitate, cui uocabulum est Kamenz, parrochiam cum omnibus, quos possidet siue possidebit, redditibus perpetuo supradictis contulimus sanctimonialibus presentibus ac earundem sequentibus, ut ab eadem omnem, qui abinde prouenit, in perpetuum recipiant usufructum. Cappellani quoque, qui collocabuntur in hiis parrochiis pro uoluntate dominarum et heredum et electione parrochialium non Annis singulis mutabuntur, sed cum praebenda competenti, que ipsis deputata fuerit, ad ipsas parrochias perpetui uicarii ordinentur. Reliqua uero pars rerum, que annis singulis hiis superfuerit parrochiis, illam domine in suos conuertent usus et hanc sibi jugiter usurpabunt. Hunc autem excipi statuimus articulum, quod Episcopus diocesanus siue Archidiaconus eorum jure in hiis parrochiis non priuentur. Item hospitale, quod ciuitati adjacet praedictae, cum duobus mansis liberis et uno molandino, quod absolute ejusdem est hospitalis, et cum rubetis circa idem hospitale jacentibus, cum agris excultis et incultis, et duo macella in foro et item de theoloneo in Kuningesbruk unum talentum sepedictae domine sunt Annis singulis jugi, lege et irretractabiliter habiture. Uolumus etiam, ut in eisdem bonis, que praefatis contulimus sanctimonialibus, ea libertate, qua nos usi fuimus, perfruantur. Praeterea intendimus, quod idem claustrum pietatis ac paternitatis uisceribus amplecti uolumus et personas inibi degentes cum rebus ab inuasoribus ejusdem loci omni, qua possumus, fiducia, quoad uiverimus, defensare, ut proinde, qui persepe mundanis inuoluimur malis, nobis a retributore

<sup>2)</sup> Naußlitz.